



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 68. Adversitas & vexatio a Platina tolerata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

procul Cremona, exiguae fortunae paren-
 tibus natus erat. Saepius ejusdem no-
 men, quod in Baptismali fonte receperat,
 non nisi litera B. designatum reperitur,
 unde a quibusdam Auctoribus Baptista co-
 gnominatur, nihilominus hac litera nomen
 Bartholomaei indicari vero similis est,
 si tamen ipse (ut fertur) auctor existit
 illius epistolae ad Cardinalem Papien-
 sem scriptae, quae hunc titulum praefert:
Bart: Platina Jacobo Cardinali Papiensi
&c. Ceterum Platina non modicum aetatis
 suae tempus militiae sacraverat, qua
 denique relicta regnante Calisto III. sum-
 mo Pontifice Romam venit, ubi a Car-
 dinale Bessarione exceptus in ejus do-
 mo morabatur, demum vero ejusdem
 Cardinalis opera, & auctoritate a Pio II.
 quaedam beneficia, ac Apostolici *Abbre-*
viatoris munus obtinuit, a Paulo II. au-
 tem omnibus suis bonis exutus fuit,
 quamvis haud alterius sceleris reus fuis-
 se videatur, quam quod apud Pium II.
 non infimum gratiae locum tenuisset, id-
 que Paulus criminis loco haberet.

Saecul. XV.
 A C 1481.
 Volat. austr.
 lib. 21.
 Vossius lib. 3.
 de Historic.
 latin.

§. LXVIII.

*Adversitas & vexatio a Platina
 tolerata.*

Platina, cum injuriam sibi illatam ini-
 quo ferret animo, hac de re apud

F 4 Pont-

Sæcul. XV.

A. C. 1481.

Pontificem conqueri decrevit; ast continuis viginti diebus palatium ejus accedens, nunquam alloqui copiam nancisci poterat: Unde fatigata ejus patientia, eoquod cum Sanctitate sua colloqui posse desperaret, ad eundem litera dedit, acerbo admodum calamo scriptas quibus Pontifici etiam comminari ausus est, se aditurum omnes Principes Christianos, eosque hortaturum, ut Concilium indicerent, in quo Papa de gestis suis rationem reddere cogeretur. Paulus II. epistolæ hujus temeritate graviter commotus, Platinam carceri mandari jubet, cujus squalore quartum in mensem cruciatus, tandem ad preces Pauli Gongazæ (ut inquit Cardinalis Mantuanus) libertati restitutus, ab eoque in fidem suam receptus est. Verum tertio post anno in suspicionem conjurationis cum quodam Gallimacho conflatæ vocabatur, ac Pauli II. jussu denuo in vincula coniectus, sæpius tormentis subiectus est: Cum autem crimen, de quo postulabatur, nunquam confiteretur Pontifex ad alia recurrit media; ergo eum hæresis, & perversæ, quam de immortalitate animæ tradiderat, doctrinæ reum facit; discutiuntur ejusdem scripta, audiuntur testes, nullius tamen erroris convictus, post unius anni carcerem iterato libertati redditur, Bessarione

ne, & Gonzaga pro eo deprecantibus. Sæcul. XV.
 Nihilominus suis officiis nonnisi Paulo II. A. C. 1481.
 e vivis erepto restitutus est sub Pon-
 tificatu Sixti IV, qui Platinam multo fa-
 vore profecutus, non modo omnium
 munionum possessioni reddidit, sed etiam
 Bibliothecæ Vaticanæ præfecit, quadam
 insuper domo eidem dono data, in qua
 etiam pestilentia consumptus obiit anno
 ætatis suæ sexagesimo. (*)

§. LXIX.

Platinæ Opera.

Is librum scripsit de gestis Romanorum *Dupin. Bibl.*
 Pontificum a Christo Domino usque *Auct. to. 12.*
 ad ⁱⁿ 4.

(*) *Temere in Paulum II. culpa conjicitur
 adversitatum, quibus Platina agitabatur; non
 enim Pontifex proprio odii impetu eum in car-
 cerem conjecit, minus vero criminationes adver-
 sus illum adinvenit, sed eum ab aliis plurimis
 accusatum quæstioni subjici jussit; propria i-
 psius in Pontifices & præcipua in Paulum II.
 Platinæ maledicentia calamitatis suæ origo
 fuit, & testantur Baronius ad annum 1466.
 num. 22. & Spondanus ann. 1464. n. 16. Pla-
 tinam erexisse Romæ academiam, in qua de
 quavis materia problematice disputans quædam
 Religionis Christianæ dogmata in dubium re-
 vocare visus est, & Platoniam sectam instau-
 rando fidei fundamenta labefactavit.*

F 5